Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Heinrich August Huch

Dissertatio inauguralis de regimine gravidarum

Rostochii: Literis Adlerianis, 1817

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007486406

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN OCR-Volltext

RU med. 1817

Huch, Jo. Henr. August

Dissertatio inauguralis

de

regimine gravidarum.

quam pro obtinendis

in Academia Rostochiensi

Doctoris medicinae et chirurgiae honoribus

publico examini submittit

Joannes Henricus Augustus Huch

Luneburgensis.

Rostochii.

Literis Adlerianis.

1817.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Jenensis

De regimine gravidarum.

Propriae vitae periculum saltem horreant illae (gravidae) quas homicidii crimen non terret.

v. Swieten.

Morborum numerus experientia teste major in foeminis est, quam in maribus, ita, ut foeminae quamvis frequentius quam mares, levius tamen nec pari cum periculo aegrotent. Particulares sexus sequioris morbi ii sunt, quibus certae solum foeminarum aetates, certa foeminarum munera, certi status, in quibus versantur, subjiciuntur. Horum detegere causas difficile non erit, si, quibus profluunt morbi, fontes investigentur sedulo; nam

1. Irritabilitas fibrarum atque sensibilitas in foeminis exquisitior est, facile excessu peccans: hinc morbi nervo-

rum inter foeminas multo sunt frequentiores, spasmi, convulsiones, epilepsiae *a*).

2. Diversus mechanismus corporis foeminini a masculo: hinc morbi mammarum varii, cancer maxime, morbi pudendorum, uteri, ovariorum etc.

3. Tertia origo in vitae genere vario, quo utuntur foeminae, habetur, hinc morbi nutricum, morbi illarum foeminarum, quae aegrotis subserviunt, morbi obstetricum etc.

4. Pravae, quibus utuntur, consuetudines multorum omnino in foeminis morborum genesin constituunt; sic pigmenta faciei varia (Schminke) *b*) potus tepidi immodici, vestitus ineptus, et usus angustorum thoraculorum.

5. Certum quodvis vitae stadium, quod percurrunt, totidem notabiles causas suppeditat, ex quibus varios foeminarum morbos profluere sana pathologia docet. Huc pertinent morbi virginum, affectiones gravidarum, partu-

---

a) Cf. praeclarum opus V. Cel. Mende die Krankheit der Weiber nosologisch und therap. bearbeitet. 11 Thle. Leipzig 1810. 1811. 8.

b) Ueber die Schminke und ihren schädlichen Einfluss auf den Menschen. Lpzg. 1796. 8. *Tode* unterh. Arzt B. II. 8.

rientium et puerperarum, mala nutricum, denique calamitates vetularum.

Gravidarum morbi sunt alii communes, alii proprii. Morbi aliis etiam communes, si in gravidam incidant, nulla peculiari tractatione egent, nisi quod purgantibus vomitoriisque cautissime utendum est *c*). Morbi gravidarum proprii, neque tamen omnibus communes, sed quibusdam saltem obtingentes, ex multifariis causis, praesertim ex sequentibus, originem ducunt:

1. Ab irritato systemate nervoso. Post conceptionem morbi sic dicti nervosi saepius observantur animi praecipue deliquia, irritabilitas, animi mobilitas major, facilis excandescentia, moeror, appetitus absurdi in res alias insuetas, aversio a rebus antea adamatis; symptomatum hystericorum integra caterva; quasi incipiens chlorosis cum cordis frequenti palpitatione; vomitus nauseaeque, quod quidem incommodum in quibusdam durat primis solum aut diebus, aut septimanis, in aliis vero ad ipsium usque graviditatis finem *d*).

2. Ab uteri grandescentis mole; uterus enim ex pelvi in abdomen ascendens, et distentus varia incommoda pro-

---

c) *J. G. Brendelii* praelectionum academicarum e. *H. W. Lindemann.* T. III. Lips. 1794. p. 225. §. 2.

d) Cave ne ad magna quaedam et heroica remedia accedas: praestat enim levissimis uti, et rem omnem soli fere tempori committere.

ducit; nempe viscera abdominis comprimuntur, tunc innumera mala pro ratione compressi visceris; hepar aut ductus excretorii bilis compressi ab utero icterum faciunt; ventriculus utero jam valde aucto ultimis graviditatis septimanis expandi nequit, et ingesta paulo largiora vomitu refundit, qui vomitus a sola mechanica compressione ventriculi proficiscitur, et cum illo vomitu mox a conceptione neutiquam confundi debet. Intestina hinc inde comprimuntur, inde alvus morosa, difficilis, et tumores a faecibus retentis, alvo fluente semper decrescentes: malum adeo solenne in gravidis. Inde haemorrhoides circa ultima praeprimis tempora graviditatis a refluxu sanguinis per venas haemorrhoidales utpote compressas impedito. Vesicae, ureterum, renum pressio, et horum viscerum inde nata laesio, et functionum perturbatio varia; mictus nempe frequens, paucus, subinde penitus suppressus. Aucta crescentis uteri mole major sanguinis copia partes superiores petit, inde mala capitis et thoracis talia, qualia a plethora nasci multiplicia solent. Pectus angustatum a diaphragmate sursum presso; inde asthma gravidarum et difficilis respiratio.

3. Ab ipso foetu valide moto, mortuo, inique sito, tubario, ovario, abdominali *e*) plurima matri gravidae incommoda haud raro gravia nascuntur.

---

e) *W. Josephi* von der Schwangerschaft aufserhalb der Gebährmutter. Rostock 1803. S. 137 f.

4. A variis corporis foeminini partibus plerumque moleste affectis tempore graviditatis; hinc morbi mammarum, alvi, vesicae, pudendorum, crurum etc. etc.

5. *Ab officiis gravidarum in se ipsas neglectis f).*

Officia gravidis propria tum suae, tum foetus salutis tuendae causa incumbere, ipsa rei natura loquitur; sunt enim multae abortus causae, multae affectiones tam gravidae matris, quam foetus utero hospitantis, quin immo unam vel alteram interficientes, quae in gravidarum regimine fundatae sunt g), et ab illarum arbitrio ita pendent, ut eas aut evitare possint, aut experiri. At heu! quam saepe nimis neglecto,

---

f) Cf. de hac mat. *Zuckert* Diät der Schwangern und Wöchnerinnen. Berlin 1775. *Büsch* Verhaltungsregeln für Schwangere. Hamb. 1782. — Der Arzt für Schwangere, von *Montagne*. Bremen 1792. — Diätetik für Schwangere, v. *Nester*. Braunschweig 1796. *Mends* Rath für Frauen über Schwangerschaft und Wochenbett, von *Henschel*. Berlin 1804. *J. A. Milchmayer* der Arzt für Frauenzimmer. Leipzig 1800.

g) *W. Josephi* über die Ehe und physische Erziehung der Kinder. Göttingen 1786. *C. A. Struve* über die Erziehung und Behandlung der Kinder in den ersten Lebensjahren. Hannover 1796. S. 33. f.

quem utero gerunt, foetu *h*), non sine proprio et sanitatis et vitae periculo iis se subjiciunt, officii sui immemores matres! Sciant homicidii festinationem esse prohibere nasci, nec interesse, utrum natam quis animam eripiat, an nascentem disturbet. Sed absit a me, ut sexus ad gratiam et humanitatem facti certe meliorem ejus si partem respicias, tantam esse posse atrocitatem suspicer, ut perversa mente expulsionem foetui suo intentare audeat. Equidem solum, ut propositum meum exsequar, gravidas officiorum illorum admonebo, quae dum diligenter adimpleant, triste adeo abortus et vitae periculum, quoad illatum est, evitare possint. Itaque

I. Vitent immoderatum corporis exercitium aeque ac nimiam quietem.

Quam necessarius sit corporis motus ad sanitatis conservationem, in physiologicis et hygiasticis clare demonstratur *i*); eum vero magis necessarium gravidis esse, imprimis utero jam molem adepto, res est aeque manifesta: si perpendatur, uteri gravidi prementis mole humorum

---

h) *Blauchart* über die Rechte des Menschen vor seiner Geburt. Frankf. 1782. *Wildvogel* de jure Embryorum, 2 edit. Hann. 1716.

i) *Fr. Hoffmann* de motu, optimo sanitatis praesidio. Hal. 1710.

motum per viscera perque extremitates inferiores non parum impediri; requiri ideo accessoriam quandam vim, qua cordis actio adjuvetur, promoveaturque per impedita vasa sanguis, a cujus motu non tantum vita, sed et humorum elaboratio pendet. Motus autem, qui modum excedit, ut omnibus periculosus est *k*), ita gravidis est perniciosissimus. Dum enim per eum humorum circulatio nimium augetur, dum universim humorum pressio in latera vasorum intenditur, dum, intenso per auctum motum calore, sanguinis moles rarefactione adeo augetur, metus est, ne impetu appulsi sanguinis tenero adhuc foetui vis inferatur, violenter afficiatur uterus, vim patiatur utero adhaerens placenta, qua extremo nexus inter matrem et foetum solvitur, ut sub periculi plena haemorrhagia contingat abortus.

Taceo inflammationem, quae utero, affectiones, quae foetui a nimio humorum appulsu instant. Animadvertam solum adhuc in ea exercitii genera, quae, dum humorum motum intendunt, simul corpus vehementer concutiunt, uterum agitant gravidum, quassant; ex quibus rationibus et foetum, et matrem nova et certiora quoque pericula expectant: hujusmodi praeter dicta sunt, uteri obliquitates, prolapsus, herniae, qui morbi, praeterquam quod totam vitam incommodi esse soleant, felicem partum non parum

k) Cf. Auctt. patholog. *Conradi, Burdach, C. Sprengel, Hartmann aliique. A. C. Büchner* de incongrui corporis motus insalubritata. Hal. 1757.

turbant. Saltus *l*), equitatio, effraena in curru vectio hujus loci sunt; quae exercitii genera ob fortuitos etiam casus sua secum ferunt discrimina, novas continuo calamitates gravidis minantia: puto lapsum, allisum, terrorem.

Abstineant itaque gravidae imprimis debiles, plethoricae sub aestivis caloribus a vehementi deambulatione, a protractis duris laboribus, a vectione per strata viarum lapidosa, ab equitatione, a saltu, ne sua culpa procurato abortu et rempublicam spe frustrentur, et ipsae se homicidii reas faciant, denique se perimant ipsae.

Quemadmodum immoderatus corporis motus gravidis periculosus, ita non minus *nimia quies* in vitio est. Quae autem inde fluunt damna, nullae experiuntur magis, quam nobiles, ditiores, urbanae, quae, dum laborum molestiam infra se putant, sedibus suis totos dies affixae manere consuescunt otiosae, aut tali solum labori vacantes, quo corpori boni nihil accedit prorsus.

Est enim, ut jam advertit Cel. *Zuckert m*), sessio praeternaturalis omnino corporis status, quo liber sanguinis per abdomen, artus inferiores circulus plurimum aggravatur,

---

l) *A. G. Platz* de morbis ex oblectamento. Lips. 1748. *J. L. Dorer* de saltatione sanitatem conservante, morbos inducente, vindicante, curante. Argent. 1762. *J. C. Witzler* über den Einfluss des Tanzes auf die Gesundheit. Landshut 1801. Cf. auct. obstetr. *Osiander, Josephi, Knebel, Froriep, Martens* aliique.

m) Diät der Schwangern. § 42. S. 83.

eo certo damnosior gravidis, quod ob uteri continuo crescentem molem humorum motus alioqui languet. Fit autem illis damnosior etiam sessio, thorace antrorsum inclinato *n)*, quo situ legere, aut sexui sui proprios labores peragere consuescunt; cui si plurimis usitata thoracula, superiorem abdominis regionem comprimentia addas, in plano habebis, abdominis viscera cum utero comprimi, premi sic vasa per illa subque illis decurrentia, sanguinis motum retardari, tardari ejus reditum ex inferioribus extremitatibus, impediri viscerum actiones bilisque motum in intestina, retineri sic multiplici ratione excretionem faecum, urinae; ex quibus omnibus demum circulus humorum in universum languidus fit, subactio crudi, cocti perfectio et elaboratio deficit, faeces accumulantur, unde demum corpus crassis, non meabilibus, nutrioni ineptis humoribus repletur, intestina copiosa faece distenduntur, cacochymia, obstructiones viscerum, icterus, atrophia, hydrops, alvi suppressio multis ex rationibus gravidae et parturienti molesta superveniunt.

II. Ante omnia, caveant sibi ab erroribus diaeteticis.

Plurimae nimis appetitibus indulgent suis, eoque ipso, praesertim in ultimis graviditatis hebdomadibus, multifariis ansam dant malis e. g. vomitioni, diarrhoeis, torminibus, capitis doloribus, sodae acidae, alvi suppressioni, perque

n) J. W. H. Conradi Grundrifs der Pathologie und Therapie. 1r Thl. Marburg 1811. p. 255. §. 279.

hanc ipsam nimisque cibo nascentem plethoram, difficili adeo partui, atque post eundem, morbis acutis haemorrhagiisque. Caeterum cibi ac potionis gravidae quantitatem determinarem ex consuetudine, viribusque digestionis, nec non ex cetero vitae genere experientiaque comedentis propria.

Absit praesertim *immoderantia!* Absint, summo adeo fruenti gravidae corporis vigore, non solum ii qui antea incommoda praebebant, sed etiam cibi, salis vel aromatum adhibitione insigniti! Hoc modo dicto victu imprimis abstineant feminae systemate nimis nervoso irritabili praeditae, abortibusque obnoxiae.

Potus *Theae* nimius usus vim digestionis minuit, et, relaxando uterum, facile abortus producit, quos nunquam frequentiores in Hollandia fuisse dicunt, quam postquam usus potus theati in abusum converti coeperat. Inprimis autem sancimus: ut gravidis, nervorum debilitate vel haemorrhagiis affectis usus praedicti potus absolute interdicatur.

Potus e *Coffea tosta* paratus, nisi nimia ejusdem dosis in coctione adhibita sit, fabaeque hujus fructus nimium sint tostae, gravidis eidem assuetis omnino indulgeatur. Sunt etiam gravidae, quibus decoctum coffeae proficiat, dum vires digestionis auget, excretionemque alvi promovet; at sedulo caveant ab eodem omnes feminae plethoricae, valde irritabiles, praedictisve oppressae malis!

Omnium potuum optime in regula gravidis convenit *aqua pura;* aliquibus tamen interdum nocet. Feminae cerevisiae assuetae ubi cito caruerint, aegrotabunt; et illae debiles, quarum vires facillime exhauriuntur et victui necessario digerendo non sufficiunt, haud parum sese reficient quotidiano usu aliquot cyathorum vini, a plethoricis nec non ad haemorrhagias dispositis absolute vitandi.

Nolint gravidae obtemperare omnibus suis appetitibus minus regularibus o). Dudum medicis innotuit: feminas quae illos contineant, nullum partui allaturas esse damnum.

III. Ita sint vestitae, ut ex vestimentis uterus gravidus nullum capiat detrimentum.

Crescente quotidie uteri mole abdominisque, ejusdem vestiendi sensim etiam habeatur ratio. Nec minima prematur corporis pars, absit itaque omnis vis a vestimento orta quocunque, quae abdomini illata sanguinis turbat circulationem, motus efficit spasticos, ansamque hoc pacto praebet abortibus. Pressae enim ideoque debilitatae corporis partes in partu edendo cooperari nequeunt, et ob uteri obliquitatem, obque impeditum in motu suo foetum partus adeo difficilis redditur, ut vel dexterrima manu

o) Cf. de hac pica s. malacia gravidarum *Rivini* Diss. Appetitus erroneus s. pica. Lips. 1799. *Schneider* Diss. de appetitu gravidarum. Viteb. 1670. *Verdries* Diss. de appetitu depravato etc. Giess. 1726.

adhibita vix perfici valeat. Ipse foetus clausis externe pressus valde afficitur, nec exempla desunt inde ortarum contusionum, deformitatum, adeoque vitiorum organicorum.

Facile inde colliges, quot quantisque malis afficiant gravidas thoracula. Nec falluntur, qui inde causas frequentium abortuum et difficilium partuum aliquot abhinc annis tam frequenter apud feminas primarum classium observatorum maxime ante viginti et quod excurrit annos, ubi furor, ut ita dicam, istius vestimenti infelicissimi eas invaserat, repetere studuerunt *p*).

Nocent porro, uti mos apud rusticos fert, multae eaedemque amplae et sinuosae gravidarum tuniculae, quarum pondus onerat abdomen, et quae non sat longae frigus non arcent.

Nimia colli et pectoris expositio aëri multorum est fons, quae gravidas afficiunt, malorum; inde febres violentae catarrhales, rheumaticae, pneunomia, pleuritis, cardialgia, colicae vehementes et periculosissimae, motus spastici, adeoque, his praeeuntibus, abortus.

Plurimae gravidae, plus semel puerperae, et quarum abdomen post partum editum non convenienti quadam cin-

---

p) *C. E. Kusitzky* nexae fasciarum gestationis et thoracum. Goett. 1775. *B. Besottii* Diss. de abusu thoracum. Groning. 1784. *J. J. G. Goldhagen* resp. *Wormes* Diss. de vi thoracum in foeminae corpus, formam, partum et lactationum. Hal. 1787.

gula cohibitum est, ventrem sibi vident projectiorem, qui, ventrali bene composito, et quale ab Illustr. *Osiandro* commendatur optime huic fini inserviens, suffulciendus est.

Mundities cuicunquae gravidae inprimis curae sit! Multum durante graviditate prodest pectinatio et lavatio capillorum, ne capitis transspiratio puerperae intercludatur. Haec regula circa graviditatis finem eo strictius servanda, quia quaevis pectinatio durante puerperio capitis dolores et lactis metastases versus caput, facillime producit *q*). Crebro etiam crurum, abdominis et mammarum cutis lavanda est, multisque gravidis tepida commendanda sunt balnea *r*).

IV. Sedulo curent, ne excretionum naturalium cursus sistatur.

Quemadmodum retentio urinae et obstructio alvi omnibus nocent, ita gravidis, praesertim circa finem graviditatis, eo majora necesse est inferant pericula, quippe quarum abdomen mole uteri satis premitur, cujus molis momentum per istas sane augeretur retentiones. Paucae gravidarum alvum non patientur durum, et inde fane frequentes capitis dolores, anxietates, colicae, spasmi caet. Haec indispositio eo magis crescit et exasperatur per intemperiem in cibo capiendo, per quietem longam, atque nimiam accubationem sessionemve. Quae omnia si sedulo vitent gravidae, nullis fere egebunt medicamentis, dummodo, temporis quodam intervallo utantur coctis fructibus alvum leniter solventibus. Si forte haec diaeta non sufficiat,

---

b) *Osianders* Hebammenbuch p. 307.

Electuarium lenitivum *Unzeri*, sive clysma tepidae aquae, tribus vel quatuor cochlearibus olei amygdalarum sive lini mixtae, praeciperem. Probe vero caveant gravidae ab usu specifici sic dicti *Lenhardi*, similiumque medicaminum drasticorum.

Non omnes aequaliter angit gravidas retentio urinae, ex solis spasmis reactioneve infantis in collum vesicae interdum nascens. Augent hoc malum remedia diuretica, quae facile gignunt periculosum partum, haematuriam, inflammationesque lethales.

V. A violentis abstineant animi motibus.

Quaecunque per vehementes animi commotiones, per iram, moerorem, moestitiam, horrorem, nec non immodicam hilaritatem oriuntur nervorum concussiones summo gravidas afficiunt periculo, subitumque foetus interitum efficere possunt, ut taceam de crisi ipsis imminente, cujus per irae affectum enatae Ill. *v. Swieten* in medium profert exemplum *s*).

Facile inde etiam animi commotiones tenero foetui indelebilem inculcant ad morbos nervorum, epilepsiam, convulsiones, cact. dispositionem; matri saepenumero dant periculosas haemorrhagias, violentas convulsiones et pthyses: congeriem sane malorum immediate ad foetum redundantium. Quo securior durante graviditate gravidae erit mens, eo feliciori partu et puerperio eam gavisuram esse vere auguramur.

---

r) *Froriep* Handbuch der Geburtshülfe. p. 502.
s) Commentar. in Aph. B. §. 1306.

gula cohibitum est, ventrem sibi vident projectiorem, qui, ventrali bene composito, et quale ab Illustr. *Osiandro* commendatur optime huic fini inserviens, suffulciendus est.

Mundities cuicunquae gravidae inprimis curae sit! Multum durante graviditate prodest pectinatio et lavatio capillorum, ne capitis transspiratio puerperae intercludatur. Haec regula circa graviditatis finem eo strictius servanda, quia quaevis pectinatio durante puerperio capitis dolores et lactis metastases versus caput, facillime producit *q*). Crebro etiam crurum, abdominis et mammarum cutis lavanda est, multisque gravidis tepida commendanda sunt balnea *r*).

IV. Sedulo curent, ne excretionum naturalium cursus sistatur.

Quemadmodum retentio urinae et obstructio alvi omnibus nocent, ita gravidis, praesertim circa finem graviditatis, eo majora necesse est inferant pericula, quippe quarum abdomen mole uteri satis premitur, cujus molis momentum per istas sane augeretur retentiones. Paucae gravidarum alvum non patientur durum, et inde fane frequentes capitis dolores, anxietates, colicae, spasmi caet. Haec indispositio eo magis crescit et exasperatur per intemperiem in cibo capiendo, per quietem longam, atque nimiam accubationem sessionemve. Quae omnia si sedulo vitent gravidae, nullis fere egebunt medicamentis, dummodo, temporis quodam intervallo utantur coctis fructibus alvum leniter solventibus. Si forte haec diaeta non sufficiat,

---

b) *Osianders* Hebammenbuch p. 307.